

14. Eleuther natione Prius ex patre Abundo sedit annos 15 menses 6 dies 5. Fuit temporibus Antonii et Commodi et iuxta corpus beati Petri sepultus est. Hic constituit, ut nulla esca a Christianis repudiaretur quae tamen rationabilis est et humana est, et Lucium Britanniae regem fecit christianum.

15. Victor natione Afer ex patre Felice sedit annos 10 menses 2 dies 10. Fuit tempore Caesaris et martyrio coronatus iuxta corpus beati Petri sepultus est. Hic constituit pascha de domo unico celebrari sicut et Eleuther, a 14 luna prima mensis usque 21 et fecit sequentes clericos et misit gentiles omnes necessitate faciente, ubi in venti fuissent, sive in flumine sive in mari sive in fontibus baptizari.

a, romus cod.

16. Zepherinus natione Romanus ex patre Abundio sedit annos 16 menses 2 dies 10. Fuit tempore Antonii et Severi et sepultus est in cimiterio suo iuxta cimiterium Calisti via Appia. Hic constituit, ut in presentia omnium clericorum et laicorum fidelium sive clerici sive levites sive sacerdotes ordinarentur et ut patres vitae ante sacerdotes portarentur.

17. Calistus natione Romanus ex patre Domitio sedit annos 5 menses 2 dies 10. Fuit tempore Maximini et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Palopodi via Aurelia miliario tercio. Hic constituit ieiunium die sabbati quater in anno frumenti vini et olei secundum prophetam et fecit cimiterium sui nominis, ubi multi sacerdotes et martyres requiescunt.

18. Urbanus natione Romanus ex patre Pontiano sedit annos 8 menses 11 dies 12. Fuit tempore Aurelii et confessor abiit, sepultus in cimiterio Praetextati via Appia. Hic multos nobilium ad fidei credulitatem perduxit, inter quos et Valerianum sponsum sanctae Cecilie.

b, 19 deest cod.

(19) Pontianus natione Romanus ex patre Calpurnio sedit annos 9 menses 5 dies 2. Fuit tempore Alexandri et in exilium missus ab eo in Sardiniam insulam, martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti.

20. Anthemus natione Grecus ex patre Praxiplo sedit annos 12 mensem 1 dies 6. Fuit tempore Maximini et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit et in ecclesia relinquit.

21. Fabianus natione Romanus ex patre Fabio sedit annos 14 mensem 1 dies 10. Fuit tempore Maximini et Africanus et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic regiones divisit diaconis et fecit 7 diaconos, qui 7 notarii inminerent, ut gesta martyrum in integro colligerent.

22. Cornelius natione Romanus ex patre Calisto sedit annos 3 menses 2 dies 3. Fuit tempore Decii, a quo et martyrio coronatus sepultus est iuxta cimiterium Calisti in arenaria. Hic rogatus a quadam matrona Lucina corpora apostolorum de catacumbis levavit et posuit corpus Pauli via quidem Ostiensis, ubi decolletus est, Petri autem iuxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum in templo Apollinis in monte aureo Vaticano palatio Neronis in Valend. Iulias.

(23) Lucius natione Romanus ex patre Porphyrio sedit annos 3 menses 3 dies 3. Fuit tempore Galli et Volusiani sed et Valeriani, a quo et capite truncatus est et sepultus est in cimiterio Calisti. Hic precepit, ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopo, quam non deserant propter testimonium ecclesiasticum.

24. Stephanus primus natione Romanus sedit annos 4 menses 2 dies 15. Fuit tempore re Valeriani et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic constituit sacerdotes et levitas vestibus sacralis in usu cotidiano non uti nisi in ecclesia tantum.

c, rom.

25. Sixtus secundus natione Romanus, Grecus ex philosopho sedit annos 2 menses 11 dies 6. Fuit tempore Valeriani et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic cum quo et sex diacones capite truncati in cimiterio Praetextati positi sunt. Hic ubi beatus Laurentius in cimiterio Ciriaci in agro Verano in crypta cum aliis multis martyribus sepultus est.

26. Dionisius ex monacho sedit annos 2 m. 3. d. 6. Fuit tempore Gallieni. Hic presbyteris ecclesias dedit et parochias diocesesque constituit.

27. Felix primus natione Romanus ex patre Constantino sedit a. 4. m. 3. d. 25. Fuit tempore Claudii et Aureliani et martyrio coronatus sepultus est in basilica, quam ipse fecerat, in via Aurelia secundo ab Urbe miliario. Hic constituit supra memoratos martyrum missas celebrari.

28. Euticianus natione Tuscus ex patre Marino sedit annos 8 m. 10 d. 4. Fuit tempore Aureliani et martyrio coronatus sepultus est in cimiterio Calisti. Hic constituit fruges super altare tantum facere et vine benedici, et qui martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurario non sepeliret, qui et ipse 313 martyres manibus suis sepelivit.